



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. Dæmones plerique in interni carcerem deturbati sunt, reliqui degunt
in hoc nostro ære.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

illos qui ponunt majorem diabolum de supremo fuisse ordine; probabile est quod de quolibet ordine aliqui ecciderunt: sicut in quolibet ordinem homines assumuntur in supplementum ruine angelice In sacra Scriptura tamen nomina quorundam ordinum, ut Seraphim & Thronorum, demonibus non attribuntur, quia haec nomina sumuntur ab ardore charitatis, & ab inhabitatione Dei, quae non possunt esse cum peccato mortali (adeoque nec in demonibus.) Attribuntur autem eis nomina Cherubin, Potestatum & Principatum, quia haec nomina sumuntur a scientia & potentia, quae bonis malisque possunt esse communia, & in demonibus post lapsum remanent.

ARTICULUS VII.

Utrum aliqui ex Angelis, qui cum Lucifera peccaverunt, egerint poenitentiam.

RESPONSIO.

Nulli egerunt poenitentiam, & sic omnes angeli, qui peccaverunt, fuerunt à Deo damnati.

Prob. Ex Scriptur. Nam 1. Apocal. c. 12. dicitur: Michael & angeli ejus preliabantur cum dracone, & draco pugnat, & angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in Caelo. 2. 2. Petri c. 2. Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. 3. In epist. Judæ: Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Ecce Scriptura de condemnatione malorum angelorum loquitur sine exceptione, quæ à nobis apponi non posset sine temeritate; cum illius apponendæ nullum sit fundamentum sufficiens.

Ratio autem cur nulli ex angelis lapsis poenitentiam egerint, non fuit voluntatis eorum inflexibilitas; si enim à bono ad malum prolabi, ita iterum à malo ad bonum cum gratiæ adiutorio resurgere potuit, ut suo loco probatum est; sed severitas divinæ justitiæ, quæ nullis tempus, & gratiæ auxilium ad agendam poenitentiam necessarium concessit, quod aperte significat Scriptura 2. Petri c. 2. verbis modò laudatis.

Ulcior verò tantæ severitatis ratio est, quia angeli peccaverunt ex malitia, non ex carnis fragilitate; cum sint incorporei, adeoque passionum expertes, & infirmitatis, quæ cum corpore conjuncta est. Hoc dicit S. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 28. Angelorum spiritus, inquit, idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo verò idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo se ipso minor esset, accepit. Unde & apud respectum judicis argumentum pietatis est hac eadem infirmitas carnis.

DISPUTATIO IV.

De præsentis demonum statu.

ARTICULUS I.

In quem locum amandati fuerint demones post peccatum suum.

Non pauci inter antiquos Patres docuerunt demones in hoc nostro aere degere ulque ad ultimi Judicii diem, quo dicunt eos in infernum detruendos, ibique in æternum detinendos esse. Unum pro omnibus profero Augustinum, dicentem lib. 8. de Civ. c. 22. Demones esse spiritus nocendi cupidissimos ... qui in hoc quidem aere habitant: quia de Cæli superioris sublimitate dejecti, merito irrefragibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prædaminati sunt. Et Enarratione in Plal. 148. Ad istum caliginosum, idest, ad hunc aerem tanquam ad carcerem damp-

natus est diabolus, de apparatu superiorum angelorum lapsus cum angelis suis: nam Apostolus hoc de illo dicit (cùm ait:.) Secundum principem potestatis aeris hujus & alius Apostolus dicit: Si enim Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos servari: infernum hoc appellans, quod inferior pars mundi sit. Nihilominus sit

RESPONSIO.

Dæmones plerique in inferni carcerem deturbati sunt, reliqui degunt in hoc nostro aere.

Prob. 1. pars. Ex Epist. 6. Judæ, ubi dicitur: Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Et ex 2. B. Petri cap. 2. ubi legitur: Rudentibus inferni detractos (demones) in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. Quibus textibus satisfieri non potest, nisi dicantur demones, aut omnes, aut saltem quoad majorem partem, esse detruati in inferni carcerem, unde si exeunt idemque, non nisi ad breve tempus exeunt; ut sic in vero sensu damnati ad æternum carcerem dici possint.

Porrò S. Augustini interpretatio non videtur hic locum habere posse. Nam hæ voces, *tartarus, infernus*, si sumantur in sensu proprio, uti hic debent sumi, carcerem subterraneum significant; & vox *caligo* non hunc nostrum aerem, sed luteraneæ carceris tenebras propriè significat. Adde quod loca Scripturæ, quibus utitur S. Doctor, non plus probant, quam aliquos demones in hoc nostro aere degere.

Prob. 2. pars. Ex Script. Nam Apostolus Ephes. c. 2. diabolum vocat Principem potestatis aeris hujus, Spiritum qui nunc operatur in filiis diffidentie. Et c. 6. sic loquitur: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in cælestibus (hoc est, in aere, quem hic Cælum Apostolus nominat, degentibus.) Quem locum exponens Hieronymus ait: Hæc omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus est contrariis fortitudinibus.

Confirmatur utraque pars, 1. Autoritate Eusebii, hæc scribentis lib. 7. præpar. Evangel. cap. 16. Sub isto (Lucifero) innumerabilis quadam aliorum & infinita natio est, similium criminum rea, quæ propter impietatem sorte piorum exclusæ, splendorem illud divinumque domicilium, eamque quæ in Regia fruebatur dignitatem, ac felicem angelicorum cœtuum societatem, cum tartaro, scelèratis omnibus admodum conveniente loco, æquissima Dei præpotentis sententia judicioque damnata, commutavit: quem locum divina littera abyssum ac tenebras appellare solent quo ex numero pars quadam exigua (relatè scilicet ad eos, qui in inferno detinentur inclusi) quæ pietatis Athletis materia segesque virtutis esset, circa terras, lunæque inferiorem aeris regionem à Deo relicta, fœdum illum de multitudine Deorum errorem fabricavit.

2. Autoritate S. Thomæ hic qu. 64. art. 4. in O. Demonibus, inquit, duplex locus pœnalis debetur. Unus quidem ratione suæ culpe, & hic est infernus: alius autem ratione exercitationis humane, & sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humane protrahitur usque ad diem judicii. Unde & usque tunc durat ministerium Angelorum, & exercitatio demonum. Unde & usque tunc & boni Angeli ad nos huc mittuntur, & demones in hoc aere caliginoso sunt ad nostrum exercitium. Licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni Angeli sunt cæcis animabus sanctis in Cælo. Sed post diem judicii omnes mali tam homines, quam Angeli, in infernum erunt, boni verò in Cælo.